



Universitätsbibliothek Paderborn

Cvrsvs Theologici ...

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et
Varietas Patitvr ...

Quas Prima Pars Et Prima Secundæ Divi Thomæ Complectvntvr -
Qvæstiones Insvper Ad Mores & praxim spectantes, quæ peculiarem cum
Scholasticis habent connexionem, declarantur

Carleton, Thomas Compton

Leodii, 1659

Dispytatio LXXIV. De potentia cognoscitiva & speciebus Angelorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13718

DISPUTATIO LXXIV.

De potentia cognoscitiva & speciebus Angelorum.

SECTIO PRIMA.

Inquiruntur quedam circa intellectum Angelicum.

I. Circa distinctionem potentiarum ab Angelo, et animâ, dictum est in Philosophia.

II. Angelum quidam dicebant esse suam intellectiorem.

III. Angelus non est sua intellectio.

Efficax huius rei propositio.

IV. Si Angelus esset sua intellectio, foret essentialiter beatiss.

V. Angelus non est sua voluntas, ergo nec sua intellectio.

Ostenditur actus voluntatis in Angelo realiter ab eius substantiâ distingui.

Hic disputant aliqui, utrum potentia intellectiva & volitiva Angeli distinguantur realiter ab illius substantiâ: sed hanc questionem latè tractavi in libris de anima Disp. 12. eadem enim ratio quoad hoc est de Angelo, & animâ rationali. Ex illo ergo loco suppono potentias hæc ab Angeli substantiâ esse indistinctas.

Vitandum nihilominus aliud extremum, Averrois nimirum, & aliorum quorundam ex antiquis Philosophis, qui licet in animâ rationali dicant intellectiorem esse aliquid ab ea distinctum, de intelligentiis nihilominus affirmant intellectiorem actualem ab earum substantiâ non distingui.

Contrarium tamen docent Theologi omnes cum S. Thoma q. 54. art. 1. & 2. estque communis sententia Sanctorum Patrum, quos latè refert Suarez, hic, lib. 2. cap. 1. Probatur verò, quia multa intelligit Angelus, quæ antea non intelligebat, nec, si cognitionem sui ipsius excipias, ullam penè rem ita necessariò cognoscit, ut ab illius actuali intellectu cessare per intervalla non possit, ergo actualis intellectio est aliquid ab Angelis distinctum, nisi quis hic ponere velit mysterium actus liberi Dei, quod tamen in creaturis non est admitendum; imò nec in ipso Deo nisi cogeret necessitas.

Confirmatur primò: Angeli enim futura non cognoscunt necessariò, nec secreta cordium. Confirmatur secundò: Fide siquidem constat Angelos, actus aliquos intellectus, ut visionem beatificam à Deo gratis accipere, ergo non sunt illorum essentialiter beatiss.

Confirmatur tertio: multos namque actus voluntatis habet Angelus, tum naturales, tum supernaturales, non secum identificatos, ergo & actus intellectus: consequentia constat à paritate rationis; antecedens quoad actus supernaturales patet in variis actibus virtutum, quos non habet secum identificatos, tum quia non semper in eo, nec necessariò existunt, tum quia nihil supernaturale identificari potest cum naturali. De actibus etiam naturalibus probatur, multa enim peccata in inferno committunt demones, quæ tamen non sunt ipsorum substantia, sic enim necessariò peccarent, siquidem necessariò existunt, cum non sit in eorum potestate non existere: imò essent ipsum peccatum. Utrum autem actus tum intellectus tum voluntatis in Angelo distinguantur ab illius substantiâ tanquam modus à re, vel tanquam una res ab aliâ, idem dicendum quod de actibus animæ rationalis dixi in libris de anima.

De intellectu Angelico, ejusque distinctione, VI. specificatione, unitate & objecto fusè disputat Suarez hic, lib. 2. cap. 2. Vasq. tom. 1. in 1. partem disp. 7. num. præcipuè 12. Hurtado disp. 5. de anima. Illud probabile videtur, intellectus Angelorum non distingui penes diversa objecta, cum omnes secundum probabilem sententiam ad eadem objecta extendantur, sed differunt per diversum in illa tendendi modum, sicut in intellectu & voluntate contingit, quæ eadem semper respiciunt objecta.

Differunt ergo specie intellectus Angelici, quòd in eadem objecta tendant per actus specie distinctos: hi verò actus ab aliis actibus distinguuntur seipsis, quòd scilicet, esto eadem interdum objecta repræsentent, diversâ tamen claritate, non tam graduâli, quàm substantiali; sicut variaz qualitates substantialiter sunt diversæ, ut secundum multos lux in sole, & corporibus beatorum. Addo mihi probabile videri, non omnia æqualiter objecta respicere singulos intellectus Angelicos, sed quòd perfectiores sunt, ed petere ad plura objecta extendi, ita ut, quamvis non determinentur fortassis ad hæc objecta potiùs quàm ad illa, numerus tamen objectorum sit determinatus, ita ut ad plura naturaliter extendi nequeant, de quo postea fortè recurret sermo.

SECTIO SECUNDA.

Utrum ad cognoscenda objecta indigeat Angelus speciebus impressis.

QUÆRI hic primò solet utrum Angelus eget concursu objecti, vel alicujus locum illius supplentis, ut res intelligat. Resp. breviter, contra Durandum, Gabrielem, & alios nonnullos, universim negantes species, & Altisidorenses, qui licet homini species impressas tam sensitivas, quàm intelligibiles concedat, negat nihilominus eas Angelis, quod etiam docere videtur Vasquez: Resp. inquam, Angelum ad cognoscendum plurima objecta indigere speciebus intelligibilibus: ita S. Thomas hic q. 55. art. 2. quem sequuntur Thomista, Capreolus, Cajetanus, Ferrara, & alii. Tenet etiam S. Bonaventura, Scotus in 2. disp. 3. q. 10. Halensis, & alii, Suarez, hic, lib. 2. de Angelis cap. 3. num. 6. estque communis hodie Theologorum sententia. Dixi ad intelligendum plurima objecta, utrum enim ad omnia omnino objecta cognoscenda Angelus indigeat speciebus, videbimus postea.

Imprimis itaque ad præterita & futura repræsentanda necessaria videntur species; cum enim intellectus Angeli ad hæc vel illa objecta cognoscenda sit indifferens, & nunc hæc cognoscit nunc illa, aliquod habere debet determinativum, nullum autem

VI. Intellectum Angelici, ut penes diversa objecta, sed penes diversum in ea tendendi modum distinguuntur.

VII. Distinguntur intellectus Angelici per actus specie distinctos.

I. Negant quidam Angelum ad omnia objecta indigere speciebus.

Species Angeli ad plurima objecta cognoscenda sunt necessaria.

II. Certum videtur ad præterita & futura cognoscenda requiri species.

SECTIO TERTIA.

De productione specierum.

autem aliud assignari potest præter species; objectum siquidem in hoc casu existens nullum est, ac proinde physice ad cognitionem (quod in omni cognitione creata objecti munus est) nequit per se concurrere, cum, ut supponimus, nullum existat. Quod autem hoc sit munus objecti, est communis philosophorum doctrina, probaturque ex S. Augustino lib. 9. de Trin. cap. 12. ubi, *Liquido, inquit, tenendum est quod omnis res quamcumque cognoscimus, congenerat in nobis notitiam sui, ab utroque enim notitia paritur, cognoscente & cognito. Quæ voces aperte indicant concursum physicum: ex quo ortum habuit dictum illud, Ex objecto & potentia paritur notitia.* Deinde juxta philosophos, cognitio est imago objecti, ratio autem imaginis requirit concursum effectivum respectu illius, cuius est imago; quam ob causam licet filius in divinis, ut in materia de Trinitate vidimus, æquè referat Spiritum Sanctum, ac Patrem, docent tamen Theologi cum non esse imaginem Spiritus Sancti, sed solius Patris, quia à Patre solo, non à Spiritu Sancto procedit.

S. Augustinus.

Ex objecto & potentia paritur notitia.

Ex ratione imaginis ostenditur requiri species.

III.

Pro objectis etiam existentibus, multa enim sæpe distant ab Angelo, sicque in ipsius intellectum agere non possunt. Nec dici potest quod affirmat Gabriël, dari scilicet actionem in distans; hoc enim primò repugnat veræ philosophiæ, deinde incredibile videtur arenulam exiguam posse agere in Angelum, in cælo empyreo existentem, imò est contra omnem experientiam, cum videamus stellas etiam maximas vix agere in oculum. Quid autem dicendum sit de objectis quibuscumque intimè Angelo præsentibus, dicitur sect. sequente.

IV.

Sola objecti existentia non sufficit, sine actu in physico.

Nec etiam sufficit speciem informare Angelum in intellectu.

Quomodo hæc species excitentur.

V.

Sola etiam cognitio rerum in substantia Angelum, non sufficit ad eas cognoscendas minime.

PRÆCIPUA hæc difficultas est, à quo species Angeli intelligibiles, producantur. Communis sententia est Angelos eas nec recipere ab objectis, nec in se producere, neque abstrahere à rebus materialibus, sed à Deo infusus accipere: ita S. Thomas hic q. 55. art. 2. & 2. contra Gentes, cap. 96. quem sequitur Cajetanus, Ferrara, & alii Thomistæ, Suarez lib. 2. cap. 6. Arrubal, Vasquez, Tannerus, & alii. Primum, quòd scilicet eas ab objectis non recipiant, jam probatum est, cum objecta distent sæpe, sæpe non existant. Secundum, quòd scilicet eas in se non producat, nec abstrahat ab objectis, probatur, productio siquidem specierum est proprium munus objectorum, ubi eas possunt producere, ubi verò non possunt spectat ad Deum tanquam ad causam primam ut eas producat, & causarum secundarum defectus suppleat, ut in aliis rebus facere solet. Confirmatur, si namque Angelus per se & adequatè posset species objectorum producere, posset similiter sine specie actus circa objecta illa exercere, nec enim difficilius est objecti vices in uno supplere, quam in alio.

I. A quo hæc species producantur.

Communis sententia est, eas à Deo produci.

Angelus si posset producere species, posset etiam actus suos speciebus producere.

II.

Differentia inter Angelum & animam, circa productionem specierum.

Quod si quis objiciat, animam species intelligibiles objectorum, concurrente simul phantasmate, in se producere, & hoc modo ab objectis abstrahere. Responderi solet animam, non id facere, nisi excitatam à phantasmate à quo prius informatur. Adversarii autem volunt Angelum per se directè & adequatè, nullo præcedente actu, species, etiam intuitivas & claras rerum immediatè abstrahere: si verò solum contendant Angelum per alium alium actum species abstractivas nonnullarum rerum acquirere, posset fortasè, inquit admitti.

III.

Licet Deus species Angelorum producat, non possunt tamen naturaliter omni specie carere.

Dices: si Deus producat species intelligibiles in Angelis, ergo carere possent omni specie, quod tamen videtur inconveniens. Distinguo consequens: possent carere omni specie supernaturaliter, si nimirum Deus uti vellet potentia sua absolutà, concedo consequentiam, nec in hoc quidquam est incommodi: sicut hoc modo orbari potest sol luce, ignis calore, materia omni formà &c. Nego tamen posse Angelos omni specie naturaliter, & sine miraculo carere; cum enim sint partes Universi, imò præcipuæ & intellectuales, debetur ipsis cognitio multarum rerum, saltem quæ ad hoc Universum in quo sunt, pertinent, & consequenter debentur similiter iis instrumenta ad cognitionem illam acquirendam requisita.

IV.

Affirmant aliqui Angelos species ab objectis recipere.

Hæc est communis sententia: Scotus tamen in 2. disp. 3. q. 11. ait Angelum species in particulari ab ipsis objectis recipere, licet concedat species rerum in universali fuisse illi ab initio concreatas. Idem sentit Durandus, Gabriël, Hænsis, Major, & alii. Nec ab hoc multum discrepat Molina q. 55. art. 2. disp. 2. Eandem etiam sententiam insinuat Arriaga disp. 4. de anima num. 88. P. Grahadò verò tract. 3. de Angelis disp. 3. num. 6. vult species intelligibiles ab essentia Angeli, tanquam proprias illius passiones, dimanare, quod etiam tenet Valentia q. 6. puncto 3. Idem docet Cajetanus, & alii. Vasquez etiam hic, Disp. 201. cap. 3. existimat rem valde esse incertam, utrum scilicet à Deo

Deo

Deo immediatè infundantur species, an dimanent ab essentiâ.

SECTIO QUARTA.

Resolutio questionis circa specierum Angelicarum productionem.

I. **H**Æc, inquam, est communis hac de re sententia. Mihi tamen nulla videtur repugnantia, etiam naturalis, quo minus objecta, non spiritalia solum, sed etiam materialia, ad productionem speciei in Angelis partialiter concurrant cum potentia. Prima pars, quoad objecta scilicet spiritalia probatur; cum enim sint ejusdem ordinis cum speciebus intelligibilibus, nulla apparet ratio, cur quis non æque illis concedat virtutem producendi speciem sui spiritualem, ac rebus materialibus producendi materialem. Confirmatur, hoc namque modo cognitio harum rerum perfectiùs fortitur rationem imaginis, cum saltem mediatè producatur ab objecto, dum producit ab illo, quod immediatè ab objecto procedit, & non solum tanquam ab aliquo quod loco tantum objecti ab alio substituitur. Confirmatur secundo: nam Suarez hic lib. 2. cap. 4. num. 21. (aitque esse communem scholasticorum sententiam) affirmat species ipsas, habitus, ubi-cationem Angeli, motum, & id genus alia per se immediatè concurrere ad cognitionem sui, & illam producere, ergo non est cur etiam Angeli, & res aliæ spirituales producere nequeant, saltem partialiter, speciem sui.

II. Secunda etiam pars, quod scilicet objecta materialia partialiter concurrere possint cum potentia ad productionem specierum, Probatur: duplex siquidem in specie relucet ratio; est quippe concursus objecti, & passio, seu proprietas potentia naturaliter debita: ergo si nullum sit inconueniens, debet & intellectus seu substantia animæ & Angeli producere suas passiones, sicut res aliæ producunt suas, & objectum similiter producere debet speciem, ac perfectissimo, quo potest modo, ad cognitionem sui concurrere.

III. Dices; hoc quidem habere congruitatem, ubi fieri potest, objectum autem materiale, materiale cum sit, non potest speciem intelligibilem, rem scilicet usquequaque spiritualem producere. Contrà, nam juxta communissimam sententiam, actus phantasmatis concurrat simul cum intellectu ad producendam speciem intelligibilem: tribuendo ergo singula singulis, intellectus vendicat sibi partem in productione speciei Angelicæ, utpote passionis suæ; objectum etiam in quantum est illius substitutum idem postulat, per speciem siquidem concurrat ad cognitionem, seu representationem sui: quare illum quem possumus concurrere ad cognitionem in speciem concedere debemus; aliquem autem possumus; licet enim res materialis per se solam & adæquatè nequeat producere aliquid spirituale, simul tamen cum alio principio spiritali non est cur id præstare non possit: sicut enim species non vitalis potest partialiter concurrere ad actum vitalem, ita & res materialis ad spirituale: quod de facto affirmant multi, ut vidimus de phantasmate.

IV. Dices secundo: Objectum & potentia sunt duo principia diversa, nec unum supplere potest concursum alterius; sæpe autem objectum materiale est res imperfectissima, nec sufficiens ad spe-

ciem producendam, ergo non potest productio speciei tribui objecto materiali, sic namque potentia deberet illius defectum in his casibus supplere. Resp. ad productionem speciei, non requiri ut objectum concurrat ut causa adæquata, præsertim ubi potentia respicit speciem ut proprietatem suam, tunc enim etiam potentia peculiari titulo petit ad illius productionem concurrere, ut diximus. Sic etiam species concurrunt ad cognitionem, multò se perfectiorem, ut objecta materialia imperfectissima ad cognitionem suam vitalem, & species naturales juxta P. Suarez ad cognitionem supernaturalem. Deinde, communis sententia præcipuum concursum in productione specierum assignat potentia; hoc enim docent philosophi, dum cum Aristotele & S. Thoma dividunt intellectum in agentem, cujus munus est abstrahere species à phantasmatibus, & in possibilem. Sufficit ergo quod objectum quocumque modo ad speciei productionem concurrat. Quod si quis contendat objecti concursum debere in his casibus ab aliquo suppleri, dici poterit, non id fieri à potentia, sed à Deo: per quod etiam satisfit primo argumento, supra pro contraria sententia allato.

Dices tertio: Frustra poneretur hujusmodi virtus in his objectis, utpote quæ nunquam possit reduci ad actum; non enim possunt objecta hæc producere speciem sui, nisi sint intimè cum potentia penetrata, tunc autem frustra producerent speciem, cum per se immediatè concurrere possint ad cognitionem sui. Resp. possint necne concurrere immediatè ad cognitionem sui, videbimus secl. sequente: Nunc dico, etiam si possint non tamen frustra tunc illa producere speciem sui, quæ postea sit principium permanens cognitionis ejusdem objecti, quando abest.

Dices quarto: Objecta hæc materialia non movent immediatè intellectum humanum, nec alio modo species in eo producant, nisi mediatè, prius scilicet movendo sensum, ergo nec possunt immediatè movere intellectum Angelicum, nec species in eo producere. Sed contra: nam neque Angelus intimè præsens animæ in viâ, corpori unitæ, producit in eâ speciem aut cognitionem sui; imò nec anima scipsum intuitivè cognoscit, nec habet speciem claram sui, ob rationes sectione septimâ afferendas, nullum ergo hinc ducitur argumentum ad intellectum Angeli, vel animæ separatæ.

Idem est de phantasiâ, præterquam quod non possunt objecta materialia immediatè applicari phantasiæ. Deinde est quædam subordinatio naturalis inter sensus externos & phantasiam, quæ non reperitur in intellectu Angeli, qui per se, & immediatè objecta quævis percipit independentè ab omni alio. Et per hæc patet ad argumenta contrariæ sententiæ.

SECTIO QUINTA.

Quomodo unus Angelus cognoscat alium.

QUÆSTIO est, utrum unus Angelus intimè præsens alteri, illius cognitionem in se producat per ejus substantiam, an per speciem. Suarez lib. 2. cap. 5. num. 2. licet probabilem putet sententiam asserentem posse unum Angelum, alium cognoscere per essentiam cogniti modo

I. Objecta, etiam materialia, possunt ad specierum in Angelis productionem partialiter concurrere.

De rebus spiritalibus minor est difficultas cum sint speciebus in essentia proportionata.

II. Ostenditur posse objecta materialia ad speciem sui producendam in Angelis concurrere.

III. Non repugnat, objectum materiale ad speciem spirituales productionem concurrere.

Species ab intellectu produci debet, & ab objecto.

IV. Magis declaratur necessitas concursus speciei ad

productio nem speciei.

Objectum concurrere potest ad cognitionem multò se perfectiorem.

V. Non sufficit in his objectis, utpote quæ nunquam possunt reduci ad actum.

VI. Differentia inter animam in viâ, & Angelum, circa productionem speciei.

VII. Nullum à phantasiâ ad intellectum Angelicum ducitur argumentum.

I. Status præsentia contrarietatis.

Segant ali- qui posse unū Angelū producere in alio cognitionem sui.

modo non dicatur hunc modum cognoscendi esse necessarium, sed posse etiam cum cognosci per speciem: addit nihilominus probabilius esse, non posse unum Angelum, alium etiam intinē sibi præsentem cognoscere per substantiam cogniti, ita ut Angelus cognitus concurrat effectivè per modum objecti ad cognitionem sui. Eandem opinionem tenet Vasquez disp. 205. estque communis Thomistarum sententia.

II.

Probabile est, posse unū Angelum ad cognitionem sui in alio immediatè concurrere.

Mihi tamen in hoc nulla apparet repugnantia, præsertim si dicantur cognitiones ejusdem Angeli, in diversis Angelis existentes, esse quoad qualitates, ejusdem speciei, & cognitionem Michaëlis, quæ est in uno Angelo, posse esse in alio, sicut in multis aliis videmus: idem enim numero calor, qui est in hoc ferro, ligno, vel igne, potuisset esse in alio, & qui est in lapide potuisset esse in aëre, vel aquâ. Hoc, inquam, si dicatur, mihi probabilissimum est, posse unum Angelum, intinē præsentem alteri, ad cognitionem sui in illo immediatè concurrere, sicut ad eandem cognitionem sui potuisset concurrere in seipso.

III.

Angelus ad cognitionem sui in seipso, non per modum potentia tantum concurrat, sed etiam per modum objecti.

Obijcies primò : Concurrat quidem Angelus ad cognitionem illam sui in seipso, sed concurrat per modum potentia; hinc autem non sequitur, posse illum ad eandem cognitionem in alio Angelo concurrere per modum objecti: hi siquidem duo modi concurrenti sunt diversissimi. Sed contrà: Angelus enim ad cognitionem illam sui in seipso producendam, non per modum potentia tantum concurrat, sed etiam per modum objecti: per suam enim substantiam concurrat ad actum, quo se cognoscit, ut jam diximus, sicque idem est cognoscens & cognitum, objectum & potentia: licet ergò per modum potentia concurrere nequeat ad illum actum in alio Angelo, cum ut sic non operetur immanenter, operatio autem intellectus esse debet immanens, & vitalis, qualis non est concursus objecti vel speciei, cum & objecta, quæ vitâ carent, producant in potentia cognoscitivâ repræsentationem sui, poterit tamen ad eum Angelus ille concurrere per modum objecti.

Idem est cognoscens & cognitum, objectum & potentia.

IV.

Dicitur, hanc virtutem in Angelo ad producendam cognitionem sui, esse superfluum.

Obijcies secundò : Virtutem unius Angeli ad producendum cognitionem sui in intellectu alterius, esse frustraneam, cum nunquam naturaliter reduci possit ad actum: quod reduci nequeat ad actum patet: Angelus enim A, habet speciem Angeli B, sibi intinē præsentis; ergo Angelus B, non potest ad actum illum per suam substantiam concurrere, utpote ad quam concurrat species.

V.

Substantia Angeli, & ejus specietatem temperare simul possunt virtutem ad cognitionem producendam.

Contrà primò : Quid vetat & speciem & substantiam Angeli simul ad cognitionem illam concurrere, sicut duo ignes attemperant invicem virtutem activam ad tertium, vel producendum, vel conservandum, aut sicut secundum multos Sol, aut cælum per modum causæ universalis, unâ cum igne ad ignem, cum equo ad equum concurrat, &c. quidni, inquam, dici potest, substantiam Angeli esse veluti causam quandam universalem ad varias cognitiones, quas de ipsâ alter Angelus magis vel minus perfectas elicere potest: sicut enim potest ab omni illius cognitione cessare, ita & hoc vel illo modo eam cognoscere.

VI.

Species simul cum substantiâ perfectius operatur.

Contrà secundò : Quidni dici poterit, substantiam Angeli, simul cum specie concurrentem, producere actum perfectiorem, quam species sola producit, dum substantia abest: sicut in aliis agentibus naturalibus videmus, ubi multiplicitas agentium conducit ad perfectiorem effectum.

VII.

In præsentia rei esset cõ-

Contrà tertio : non enim caret probabilitate si quis dicat connaturaliter loquendo non posse

hanc speciem operari, imò nec existere in Angelo illo, dum ei præfens est alterius Angeli substantia; hæc quippe videtur natura rei, quæ est vicaria alterius, & consequenter illi in operando & existendo subordinata, ut adveniente re, cesset substitutum: sic auxilium transiens adveniente habitu cessat naturaliter, & habitu destructo iterum potest connaturaliter infundi: sicut ergo hic est subordinatio in entitate inter res supernaturales, ita non improbabiler discurreret, qui idem affirmaret de specie & substantiâ Angeli, quando hic intinē præfens redditur alteri Angelo, toties quoties id contingeret. Si tamen species illa non sit solius illius Angeli, sed simul aliarum rerum, tum existere quidem potest ratione aliorum effectuum, seu cognitionum, ad quas tunc potest concurrere, ut in variis exemplis naturalibus constat.

naturaliter species.

Declaratur exemplo luminis transmissi.

Quid si hæc species non sit solius Angeli.

VIII.

Quamvis Angelus se semper cognoscat, potest nihilominus cum specie aliam cognitionem producere.

Dices : Angelus se semper per suam substantiam cognoscit, & in hac cognitione exhauritur virtus ejus objectiva, præsertim cum hæc cognitio sit ei adæquata, & illius comprehensiva; ergo concurrere eodem tempore nequit ad cognitionem sui in aliis Angelis producendam: Nego consequentiam; sicut enim idem intellectus cum diversis speciebus diversos potest simul actus, etiam perfectissimos elicere, ita & eadem species, seu substantia cum diversis intellectibus. Sicut ergo de facto Angelus dum per modum potentia cognoscit se, etiam comprehensive, potest nihilominus per modum potentia concurrere simul ad cognitiones aliarum rerum, ita & per modum objecti cum alio intellectu concurrere potest ad cognitionem sui.

SECTIO SEXTA.

Alia objectiones contendentes Angelum debere intinē alteri presentem cognosci per speciem.

Obijcies tertio : Si substantia Angeli concurrat ad cognitionem sui in intellectu alterius, vel liberè concurrat, vel necessariò: non secundum, Angelus siquidem nihil operatur ad extra necessariò: non primum, sic enim posset Angelus intelligendus impedire, quò minus alter eum intelligat; imò non possent omninò se invicem intelligere, nisi merè fortuitò & casu, duo quippe principia libera & non subordinata non videntur posse se ad simul operandum determinare, nisi fortuitò; nec enim possent illæ duæ Angelorum voluntates simul applicare se ad actionem liberam inchoandam, nisi merè per accidens. Resp. Angelum cognoscendum non præbere concursum illum objectivum liberè, sed necessariò, si alter se determinet ad illum cognoscendum, eo scilicet modo, quo concurrat habitus. Quare, nego Angelum nihil ad extra operari necessariò, solius namque Dei primum videtur concurrere liberè in ratione objecti: unde hac in re Angelus aliorum objectorum naturam imitatur. Deinde, sicut Angelus dicitur necessariò audire quando alius ad eum locutionem dirigit, ita quid incommodi, si necessariò cognitionem sui in alio Angelo producat?

I.

Dices: Angelus ad cognitionem sui in intellectu alterius, nec liberè per suam substantiam concurrere potest, nec necessariò.

Resp. Angelus ad illam sui cognitionem concurrere necessariò.

II.

Et Angelus alium per substantiam illius cognoscat, non est opus, ut eam sciat sibi esse præsentem.

Obijcies quartò : Angelus intelligens alterum non potest determinare se ad utendum substantiâ alterius, nisi cognoscat illam sibi esse præsentem; ergo prius eam cognoscit, quam concurrat substantia Angeli; ergo substantia Angeli cogniti, cognitio-

cognitionem illam non producit. Respondetur hoc ad summum arguere, inesse Angelo illi debere obscuram aliquam cognitionem præviam substantiæ illius. Deinde neque hoc probat; sicut enim nos utimur speciebus & habitibus supernaturalibus, licet eos non cognoscamus, nec actu nobis inesse sciamus, ita fieri idem potest de substantiâ Angeli.

III.
Qua sensu intelligendum sit, Angelum nihil ad extra producere, nisi motum localem.

Hoc dictum capiendum est de solis actionibus reulibus, nõ de intentionalibus.

IV.
Nullum à rebus spiritalibus ad materiales circa cognitionis productionem deducitur argumenta.

Objicies quintò dictum illud vulgare, Angelum scilicet nihil producere ad extra nisi motum localem. Resp. axioma illud à plurimis limitari, qui illud fatentur nonnullas pati exceptiones. Non est ergo intelligendum axioma illud de actione intentionali, seu quæ ordinatur tantum ad manifestandam alteri substantiam rei hoc modo operantis, omnia enim ferme objecta quæ aliis non sunt operativa, hac ratione nihilominus agunt, & vel speciem sui, vel cognitionem extra se producunt. Sumendum ergo tantummodo est hoc axioma de actione reali, prout distinguitur ab intentionali, & sensus est nil posse Angelum ad extra in ordine ad generationes rerum efficere præter motum localem, id est non posse per se immediatè res physicas producere, sed solum disponendo agentia naturalia, seu applicando activa passivis; in toto autem hoc negotio aliud nihil producit propriè Angelus, præter motum localem.

Objicies sextò: ergo & objecta materialia intimè Angelo præsentia, immediatè concurrere poterunt ad cognitionem sui efficiendam. Respondetur primò: quicquid sit de veritate ipsius rei, consequentiam esse nullam; faciliè enim dici posset, majorem, ut in entitate, ita & in operatione, inter Angelum & cognitionem spirituales esse proportionem, quàm inter rem corpoream & eandem spirituales cognitionem. Secundò, tamen dico cum Scoto, Gabriele & aliis, nullam in hoc esse repugnantiam; licet enim objectum materiale per se adequatè effectum spirituales producere nequeat, simul tamen cum alio comprincipio spirituali non est cur id præstare non possit: sicut, ut supra diximus, res non vitalis concurrat cum principio vitali ad actum vitalem, & juxta valde communem sententiam phantasia physice simul cum intellectu ad speciem intelligibilem efformandam concurrat, ut latius dictum est Sect. quarta.

SECTIO SEPTIMA.

Utrum Angelus cognoscat seipsum per suam substantiam an per speciem.

I.
Angelus, non per speciem, sed per suam substantiam se cognoscit.

Substantia Angeli, & præsens semper est, & præsens cognitionem suam efficiere.

DICENDUM cum communi penè omnium sententia contra Henricum, cui contrarium à nonnullis tribuitur, Angelum non per speciem, sed per suam substantiam seipsum clarè intueri; ita S. Thomas hic, quaest. 56. art. 1. & lib. 2. contra Gen. cap. 98. & alibi, Suarez lib. 2. cap. 4. num. 7. & 9. Molina & alii. Ratio Conclusionis est, quam supra posuimus in materiâ de visione, dum de specie impressâ Dei; species enim impressa, utpote vicaria objecti, tunc solum concurrere debet, quando objectum non est præsens, aut potens actum illum elicere: sed substantia Angeli necessariò semper est præsens, habetque virtutem sufficientem ad cognitionem illam, per modum objecti elicendam: ergo. Primum, de præsentia, non eget probatione, cum nihil sit magis præsens, quàm idem sibi;

quòd autem in ratione objecti habeat virtutem sufficientem constat, cum namque sit substantia creata, intellectiva, perfectissima, negandum ei hoc non videtur.

Confirmatur primò: cum enim nulla in hoc sit vel apparens repugnantia, non est cur non dicamus hoc ei competere, ut hac ratione sit causa cognitionis perfectissima, nempe immediata tam in ratione potentia, quàm objecti. Confirmatur secundò: quorumdam quippe sensuum objectis, ut tactus, gustus, & olfactus à multis conceditur, ut per se immediatè per modum objecti ad actum, quo percipiuntur, concurrant, ergo non est cur concursus objectivus immediatus negetur Angelo. Confirmatur tertio: ex S. Augustino lib. 9. de Trinitate cap. 12. ubi ad hanc rem sic habet: *Mens cum seipsam cognoscit, sola parens est notitia sua, & cognitum enim, & cognitor ipsa est.*

Quod de substantiâ Angeli diximus respectu cognitionis intuitivæ sui, dicendum etiam videtur de accidentibus, quæ Angelo insunt, intellectu scilicet ejus & voluntate, si distinguantur ab illius substantia; & speciebus etiam ipsis, & aliis id genus, quæ sufficienter similiter habere videntur proportionem, ut per modum objecti immediatè ad intuitivam sui cognitionem concurrant.

Quod si anima rationalis hic in corpore existens, non se cognoscat clarè & intuitivè, est quia impeditur ab extrinseco; Deus enim ob rationes quoddam non vult ei præbere concursum ad hujusmodi actum, sicut respondere debent adversarii, cum causa quaeritur, cur anima non habeat in viâ speciem claram & intuitivam sui, & aliarum rerum; dicunt enim, vel hanc ei non deberi pro præsentia statu, vel Deum secundum providentiam suam statuisse hominem hic gubernare per notitiam à sensibilibus tantum rebus habitam, ut hoc pacto & dominium suum in eum ostendat, & sit major locus fidei, in articulis præsertim ad animam pertinentibus.

Mihi tamen non improbabile videtur quod affirmant aliqui, animam, etiam hic in viâ actus suos experimentaliter confusâ quâdam cognitione per ipsos actus ad sui cognitionem seipsis concurrentes, cognoscere: sicut enim dantur species magis vel minus claræ, ita & objectum ipsum potest per se magis vel minus clarè ad actus circa se eliciendos concurrere.

Dices: non repugnant juxta communem sententiam duo vel plures Angeli numero tantum distincti. Ponamus ergo de factò Michaëlem & Gabrielem esse ejusdem speciei; tum sic, Michaël habet speciem representativam Gabriëlis, ergo & representativam sui, species enim eadem plures Angelos numero distinctos representare potest. Resp. sicut non repugnat species expressa, quæ duo vel plura individua aut etiam species representet formaliter, ita nec repugnat ejusmodi etiam species impressa, quæ hæc representet effectivè: sicut autem è contrâ variæ sunt species expressæ, quæ unum tantum representare possunt individuum, ita nec repugnat ejusmodi species impressa. Unde non sequitur debere Angelum habere speciem impressam sui; cum enim ut dictum est, semper sibi sit præsens, non est ad quid requiratur hæc species.

II.
Perfectior cognitio sui producti per substantiam Angeli, quàm per speciem.

S. Augustinus.

III.
Accidentia etiam in Angelo ad sui cognitionem concurrunt.

IV.
Cur anima rationalis hic in corpore existens, clarè non cognoscat.

V.
Anima hic in viâ actus suos per ipsos actus cognoscit.

VI.
Quæ species animæ Angeli habet, numero tantum distincti, non habet necessariò speciem sui.

Est possibile speciem notitiam tantum Angelus representare.

SECTIO OCTAVA.

Vtrum species omnes sint Angelo ab initio congenitæ, vel decursu temporis acquisitæ.

I. SERMO est de speciebus intuitivis, quibus clarè, directè, & immediatè objecta percipit, non de abstractivis, de quibus est dispar ratio. Difficultas itaque in presenti est: si enim Angeli species omnes rerum, quas naturaliter cognoscere possunt, sibi ab initio habuerint concreatas, seu congenitas, sequi videtur, posse illos cognoscere futura: patet sequela, principium adæquatum cognoscendi rem aliquam sunt potentia & species: si ergo habent ab initio speciem objecti futuri, poterunt illud cognoscere, causa enim naturalis completa, semper effectum suum producit: sed intellectus Angeli cum specie, est æquè jam causa completa cognitionis de die iudicii, atque erit quando dies iudicii exister: ergo æquè connaturaliter jam elicit Angelus actum clarum de die iudicii, ac quando exister, & consequenter connaturaliter cognosceret futura.

II. Propter hoc nonnulli ex discipulis S. Thomæ, ut referunt Conimbricenses disp. 3. de animâ separata art. 6. quos ibidem sequuntur ipsi, dicunt rerum futurarum species non ab initio Angelo infundi, sed successivè & paulatim prout objecta existunt: unde singulis momentis alias & alias dicunt ei species tribui, quibus & nova objecta cognoscuntur, & eadem secundum novam coexistentiam, quam singulis momentis habent cum instantibus & partibus temporis perpetuò fluentibus conjunctam.

III. Alii, quos refert Suarez hic, lib. 2. cap. II. num. 1. ut Hernæus & Malonius, sequiturque Moncæus disp. 5. cap. 6. & probabile iudicat Tannerus, Albertinus, & alii: Hi, inquam, affirmant, non singulis momentis infundi novam speciem, ut volbat prior sententia, sed ab initio Angelum species omnes accipere; id enim aiunt nativè Angelicæ perfectionem decere. Addunt tamen, has species non esse usquequaque completas, sed repræsentare res quoad possibilitatem tantum, & prædicata essentialia. Quando autem res exister, infundi aiunt ultimum speciei illius complementum, quod modificationem speciei appellant, non speciem, eò quod hoc additamentum per se non sufficiat ad quidquam repræsentandum, conjunctum verò speciei præcedenti efficit, ut alio modo repræsentare possit objectum, nempe, non ut possibile tantum, sed ut existens, quod antea præstare non poterat. Hanc porro adjectionem modificationis omnino necessariam esse asserunt, nam alioqui, inquiunt, sequitur ex argumento supra posito, posse Angelum cognoscere futura.

IV. Hæc sententia quoad id quod dicit de modificatione, & complemento speciei jam præexistentis, non caret probabilitate: quod verò asserat ita necessariam esse hanc modificationem momentis singulis adjectam, ut si species ab initio fuisset completa, salvari nequeat quomodo Angelus non possit cognoscere futura, æquè ac præsentia, planè non assentior, dici enim posset, esto tota virtus ex parte Angeli sit completa, in operando tamen illam à conditione quadam dependere, quæ

nondum posita, prodire nequit in actum; conditio autem hæc in presenti est existentia objecti.

Dices: si res naturalis dependere in operando possit ab huiusmodi conditionibus extrinsecis, ergo quidvis dici poterit, ut exempli gratia esse ignem, qui comburere tantum possit diebus dominicis, & alia huiusmodi. Sed contra: nam, etiam juxta adversarios non potest Angelus naturaliter speciem illam, aut modificationem habere, seu recipere, nisi quando objectum existit, imò nec species connaturaliter, nisi tunc produci potest, ergo arguere similiter quis posset, esse potentiam passivam, lignum exempli gratia, aut ferrum, quod calorem aut aliud huiusmodi recipere non possit, nisi diebus Dominicis, aut ignem vel lapidem, qui connaturaliter produci nequeat, nisi in die festo, aut aquilam versus orientem volante: sicut ergo, etiam secundum illos hoc non sequitur in potentia passiva, ita nec in activa. Imò juxta adversarios est species aliqua, quæ connaturaliter produci non potest, nec Angelus illam recipere, nisi Cain Abelem occidente, petro jurante &c. Quare ergo non erit similiter possibilis species, aut etiam potentia aliqua activa, saltem intentionalis, quæ connaturaliter in actum prodire, non nisi tunc queat: non tamen propterea sequitur idem esse de quacumque potentia dicendum; sicut nec ipsi hoc dicunt de quacumque specie.

Probatur secundo: non potest Angelus secreta cordis, aut actus hominis, vel alterius Angeli, liberos cognoscere, nisi ipso volente secundum communem omnium sententiam; posita autem volitione illâ, planè alteri Angelo extrinsecâ, imò in loco etiam remotissimo existente, potest hæc tamen volitio nullum influxum habet in virtutem operativam alterius Angeli, sed est merè conditio: ergo potest potentia in operando pendere à conditione extrinsecâ.

Confirmatur: quando actus aliquis voluntatis elicitur liberè, non potest Angelus illum naturaliter cognoscere, quem tamen cognoscere posset si eliceretur necessariò, sicut secundum adversarios cognoscit actus necessarios sensitivos, sensuum etiam interiorum, ut appetitus & Phantasia, & tamen nihil in eo actu est physicum diversum, secundum communissimam sententiam dicentem posse actum transire de libero in necessarium, & econtrâ, sed solum est aliquid morale, ergo potentia physica pendere in operando tanquam à conditione potest ab aliquo planè sibi extrinsecò, imò morali, & quod physicum actus illius principium non ingreditur.

Dices: ideo non cognosci ab Angelo secreta cordis, & actus liberos, quia eorum species vel non habet omnino, vel saltem non completas, cum desit modificatio, quam naturaliter habere non potest, nisi posito consensu alterius. Contra primò: ergo ut potentia Angeli sit proximè apta ad recipiendum speciem, vel illius modificationem, pendet tanquam à conditione à circumstantiâ planè extrinsecâ, & morali, ergo etiam ut potentia eadem sit proximè ad actum cognitionis circa objecta illa producendum apta, pendere ab eadem circumstantiâ poterit, tanquam à conditione. Contra secundo: quando enim Angelus est intimè præsens alteri, vel animæ, non eget specie ad substantiam animæ illius vel Angeli, aut etiam eorum accidentia cognoscenda, species scilicet, potentia, habitus, & actus: cum enim

V. Dices: non posse rem in operando pendere à conditionibus extrinsecis.

Potentia aliqua passiva pendere potest à conditione extrinsecâ, ergo & aliqua activa.

Non est passiva concepta & dependens à conditionibus extrinsecis.

VI. Alterius secretum, aliquam ab ipso conditio: non habet dependentiam.

VII. Quod actus liber cognoscitur, idem dum est necessarius, queat, arguit dependentiam à conditione.

VIII. Consensus alterius Angeli est conditio ad utrumque alterius liberos cognoscendos necessaria.

Quando spiritus Angelus est præsens, tunc non debet dependentiam ab aliquo extrinsecò.

hæc accidentia intimè illi sint præsentia, non egent specie vicariâ, sed per se possunt ad cognitionem sui concurrere, & tamen non concurrunt, etiam in illo casu, actus liberi ad huiusmodi cognitionem, nisi posito consensu alterius, ergo quando datur principium physicum efficiens completum quoad totam virtutem effectivam, pendere nihilominus in operando potest à mera conditione extrinsecâ.

IX. Dices: huiusmodi actus liberi non habent vim operativam, sicque non possunt concurrere efficienter ad cognitionem sui. Contrâ: hi namque actus habent virtutem operativam, defacto siquidem producunt habitum, quare ergo non poterunt producere cognitionem sui. Deinde, quando existunt, concurrunt in animâ vel Angelo, in quibus sunt, ad cognitionem sui: experientia enim constat, etiam hic in viâ nos scire habere nos actus huiusmodi liberos: quod similiter indubitatum videtur de Angelis. Imò adversarii ipsi fatentur concurrere hos actus ad cognitionem reflexam sui, vel immediatè, vel producendo speciem memorativam.

X. Tandem, saltem habitus sunt operativi, cur ergo illi non habent vim producendi cognitionem sui, sicut habent res aliæ huiusmodi spirituales? & tamen ut in actum prodeant dependent à consensu habentis illos; idem enim jus secreti non minus exigit, ut non cognoscantur habitus ab actibus liberis elicitis, quàm actus ipsi; si enim videat Angelus animam vel Angelum in tali instanti habere habitum à tali vel tali actu libero productum, evidenter sciet illum habere actum.

SECTIO NONA.

Alterius ostenditur species in operando pendere posse à conditione extrinsecâ.

L PROBATUR tertio: ponamus tres Angelos sibi esse intimè præsentis; habeat unus ex his actum aliquem liberum, aliter actum illum non vident, etiam juxta adversarios, ante consensum elicientis, quia ante illum, inquirunt, non habent speciem modificatam, nec principium illius cognitionis completum: sit ita, quamvis hoc superiore sectione sit impugnatum, velit ergo is, qui actum illum liberum elicit ut unus ex aliis duobus actum illum videat, jam ille secundum hos auctores habebit speciem: inquiri ergo cur alter prædictum actum per eandem speciem non videbit, est enim ei sufficienter applicata, cum sit intimè illi præsens, communiter enim docent auctores ut species concurrere ad actum possit, sufficere ut vel sit proxima potentia, vel illi intimè præsens, ut docet Hurtado Disp. 12. de animâ, sectione 6. num. 77. Arriaga disp. 2. de animâ, sect. 2. num. 90. Herice 1. parte disp. 47. num. 9. & alii: inhaesionem autem illarum solum requiri asserunt, ut existant, accidentia quippe cum sint, earum esse est inesse; si verò à Deo solo per concursum creativum species illæ conservarentur, non minus perfectè ad actum concurrerentur, quàm modo.

II. Hinc ergo habetur, ubi principium, etiam effectivum est quoad totam virtutem physicam productivam completum, adhuc non posse illud naturaliter operari, defectu conditionis merè extrin-

secæ, & subinde moralis: unde non est hoc verum de potentia tantum receptiva, licet ab hac, ut supra dixi, valeat consequentia ad effectivam; nec enim minus violentum est potentia passiva, seu receptiva completæ, non habere formam quam petit, quàm effectiva non producere effectum: si tamen illa esse possit non completa merè defectu conditionis, etiam moralis, poterit certè & effectiva.

Probatur quartò: nonnulla enim sunt principia effectiva, quæ non possunt operari, nisi posito aliquo à quo pendet, merè ut à conditione: sic dicunt multi habitum fidei in operando pendere ab existentia, vel futuritione objecti: saltem ab iis pendet peculiaris illa illuminatio, ad actum fidei divinæ eliciendum requisita.

Quidquid verò sit de his, negari certè non videtur posse de lumine gloriæ, esse nimirum possibile lumen gloriæ, quod effectivè seu causaliter repræsentet objectum aliquod possibile, vel solum, vel simul cum aliis objectis, quod tamen objectum de facto nunquam existet. Est possibile exempli gratiâ lumen gloriæ, quod cum aliis objectis, quæ de facto crunt, repræsentet incarnationem Patris aut Spiritus Sancti, alium mundum, & huiusmodi, si ergo Deus istiusmodi lumen hominis alicujus aut Angeli intellectui infunderet, non posset connaturaliter operari, & producere visionem beatam, qua videant in Verbo ejusmodi incarnationem futuram, cum futura non sit, alioqui visio beatifica esset falsa, ergo aliquid pendere in operando potest à re merè extrinsecâ tanquam à conditione; Incarnatio siquidem futura esset talis.

Dices: non posse Deum jam infundere ejusmodi lumen, posito quod non sit futura Incarnatio, aut alius mundus, quia inclinaret ad falsum, sicut propterea non potest Deus infundere habitum erroris. Contrâ: non statuo lumen hoc ordinari ad repræsentandum istud objectum solum, sed simul ad repræsentandum alia, vel ad aliud aliquod munus: in hoc autem casu non negabunt adversarii posse ejusmodi lumen infundi: sicut si habitus erroris non sit adæquatè habitus erroris, sed habeat aliud munus, non repugnat, etiam secundum illos, eum à Deo infundi. Quod constare videtur in appetitu, & aliis huiusmodi, quæ licet inclinent etiam ad peccatum, possunt nihilominus à Deo infundi. Deinde concedunt ipsi posse Deum infundere speciem modificatam de objecto falso, quæ tamen quoad hoc æquivalet habitui erroris.

Quintò tandem hoc idem ostenditur, quia in aliis multis concedi debet hæc dependentia ab aliquo tanquam à conditione: ut enim passim & sine peculiari aliqua causâ, sive à ratione, sive experientia, vel auctoritate ductâ non sunt huiusmodi conditiones statuendæ, ita eas penitus negare est difficillimum, ergo non est cur hic etiam admitti nequeat huiusmodi conditio, à qua species in operando dependeat: Antecedens probatur: sic enim effluxisse aternitatem à parte ante est juxta multos ex adversariis conditio, ut Deus creaturam ullam possit producere. Deinde juxta omnes, possibilitas effectus est conditio requisita ut causa agat, & eum producat: sic etiam ad actionem transubstantiativam requiritur ut conditio à multis ut substantia præcesserit; & videtur debere omnes fateri existentiam Angeli, aut formæ cæli in instanti præcedente, esse conditionem ut postea naturaliter debeat conservari, cum sit res naturaliter indestructibilis; unde posito quod in instanti A. fuerit, debet in instanti

pendere à conditione extrinsecâ.

III. Habitui fidei in operando pendet ab existentia objecti, tanquam à conditione.

IV. Indubitatum videtur lumen gloriæ in operando pendere posse ab aliquo plano extrinsecâ.

V. Sicut species variorum objectorum repræsentationis infunditur potest, licet unum ex iis non sit futurum, ita idem dicitur esse de lumine.

VI. In aliis multis concedi debet hæc dependentia ab aliquo, tanquam à conditione.

Varia proponuntur conditiones extrinsecarum exempli gratiâ.

Ex tribus Angelis, sibi intimè præsentibus ostenditur dependentiam ab aliquo extrinsecâ.

Species, ut operentur, non requirunt ut sint intimè præsentis potentia.

in instanti B. & reliquis postea subsequen-
tibus conservari. Plura hęc de re sect. sequente.

SECTIO DECIMA.

Applicatur præcedens doctrina ad species Angelicas in particulari; ubi de actibus liberis, & secretis cordium.

I. **D**ico primò: etiamsi principium creatum sit completum, ab operatione nihilominus impediti potest defectu conditionis extrinsecæ, ad operandum requisita: ita generatim loquendo omnes penè auctores, Suarez hęc, lib. 2. cap. 11. n. 13. & 14. & disp. 35. Metaphys. sect. 4. num. 2. Albertinus Corollario 8. & 12. ex primo principio. Arrubal disp. 167. cap. 2. Monæus disp. 5. cap. 6. Tannerus q. 3. dub. 4. num. 19. Granado Hurtado disp. 12. Metaphys. num. 30. Vasquez. disp. 208. cap. 4. & alii passim. Hęc conclusio probata est totâ sect. præcedente ubi ostensum est, ex hoc capite non repugnare, ut Angelus habuerit species omnes sibi ab initio congenitas.

II. **D**ico secundò: licet Angelus naturaliter cognoscere nequeat actus liberos alterius, actu existentes, nec secreta cordium, nil tamen vetat, quo minus habeat principium creatum completum cognitionis illorum effectivum. Advertendum, per secreta cordium non affectiones tantum liberas voluntatis intelligi, sed etiam cogitationes mentis liberas; nam secundum Patres, Christus cogitationes cordis revelando ostendit suam divinitatem, ut Matth. 9. v. 4. dixit Judæis, *Ve quid cogitatis mala in cordibus vestris*, & cap. 12. v. 15. *Sciens interiorum cogitationes eorum*, &c. Unde non rectè Hervæus & Vasquez, citans Alphonsum Dezam, affirmant posse Angelum naturaliter cognoscere cogitationes alterius, quoad substantiam, non tamen prout à voluntate recipiunt denominationem libertatis, seu bonitatis & malitiæ. In intellectu ergo omnes illi actus sunt secreta, qui ad consultationem & deliberationem humanam spectant, vel actus liberos memoriæ repræsentant: actus etiam quicumque, & res aliæ, ut habitus ab his actibus producti: illa denique omnia, quæ cum his peculiarem habent connexionem, ita ut iis cognitius inferatur existentia horum.

III. **P**rima itaque conclusionis pars probatur: licet enim Angelus ex actibus externis possit conjecturaliter, vel etiam subinde (cùm actus externi jus secreta non fortiantur) cognoscere effectus liberos, non tamen possunt eos Angeli, sicut nec secreta cordium, dum adhuc merè sunt interna, evidenter & intuitivè cognoscere: ita communis Theologorum sententia cum S. Thoma citato, ut videre est apud Suarez hęc, lib. 2. cap. 21. ubi id fide certum esse affirmat Granado tract. 5. disp. 2. sect. 1. & alios. Ratio est quia soli Deo à Scripturâ tribuitur horum secretorum cognitio, utpotè qui solus est *capto cordium*: sic 3. Regum 8. n. 40. de Deo dicitur: *Nosti solus cor omnium filiorum hominum*; item Psalm. 43. vers. 22. *Ipsè enim novit abscondita cordis*; deinde Jeremias 17. vers. 10. *Pravum est cor omnium, & inscrutabile, & quis cognoscat illud, ego Dominus scrutans cor, & probans renes*. Idem etiam sæpissimè testantur Patres qui videri poterunt in Suario, & Granado citatis.

R. P. Comptoni Theol. Scholast. Tom. I.

Probatur tandem ratione, & simul secunda pars conclusionis ostenditur: nam ut cum S. Thoma quest. 57. art. 4. docent Theologi, creatura libera jus habet secreta circa actus suos liberos, ita ut nulli præterquam Deo, qui perfectissimum & supremum habet dominium, debeatur illorum inspectio. Et sanè, ut benè Granado citatus, num. 11. parum rectè rationi consonum apparet inter homines posse unumquemque secretum aliquid cogitare pro libito, ac velle, idque alios omnes præter Deum celare, id tamen non posse Angelum. Hanc ergo ob causam, donec Angelus præbeat consensum, non debetur connaturaliter alteri concursus ad cognitionem circa actus illos eliciendam: unde cum Deus connaturaliter non præbet, donec conditio illa consensus Angeli ponatur, quantumcumque alter habeat principium illius completum.

Confirmatur: sic enim, ut Sect. 8. & 9. vidimus, juxta alterius sententiæ Auctores, non debetur Angelo species, vel modificatio ante consensum illum positum, nec ante cum est illi violenta speciei hujus vel modificationis carentia; ergo inerè ei non debetur ob defectum conditionis: hęc autem posita esset carentia illius ei violenta: idem ergo dici posset de carentiâ concursus, etiamsi principium effectivum creatum esset completum.

Secundo hoc idem ostendo: nam, etiam juxta auctores sententiæ ponentis hujusmodi modificationem, anima hęc in viâ, & antequam separaretur à corpore, licet totam potentiam intrinsecam habeat ad clarè se, & intuitivè videndum, non tamen illi pro hoc statu debetur concursus simultaneus ad hujusmodi visionem sui eliciendam. Sicut ergo, licet hęc habeat anima totum principium creatum, pendet nihilominus à morte tanquam à conditione, ut prodire possit in actum, & ut debeatur ei connaturaliter concursus simultaneus, ita & in nostro casu, licet Angelus habeat totum principium creatum requisitum ad actum alterius liberum cognoscendum, potest nihilominus in illius cognitione eliciendâ pendere à consensu alterius, tanquam à conditione, id hęc exigente jure naturali secreta, quod ibi exigit ratio divinæ providentiæ.

Tertiò probatur: semper namque in physicis causâ efficiens dependet à conditione, nempe applicatione physicâ passivæ, ergo & dependere Angelus poterit à volitione alterius tanquam ab applicatione intentionali, seu spirituali, quâ actus ille liber intellectui ejus applicetur, tunc namque, ut ait S. Thomas, ad illum dirigitur, & sub ejus quasi potestate intentionali constituitur, ita scilicet ut intentionales actus pro libito circa illum exercere possit. Dices applicatio physicâ requiritur, non purè ut conditio, sed quia sine illâ deest alterum comprincipium, nempe passum, quod etiam physicè concurrat. Contrâ: passum tunc existit à parte rei ut supponimus, ergo est in rerum naturâ totum principium productivum effectus, ergo id quod deest, est mera conditio approximationis, quæ in effectum physicè non influit.

IV. *Creatura libera jus secreti habet circa actus suos liberos.*

Hęc in hominibus videmus; ergo à fortiori in creaturâ est Angelus.

V. *Sicut non debetur species, vel modificatio ante consensum, ita nec concursus.*

VI. *Anima in viâ, merè defectu conditionis non elicit cognitionem intuitivam sui.*

Consensus alterius est conditio, ut Angelo debeatur hujusmodi concursus.

VII. *Consensus ille est applicatio, non physicâ, sed intentionalis.*

Approximatio physicè non influit, sed est mera conditio.

SECTIO UNDECIMA.

Quomodo Angelus cognoscat futura & praterita.

I. PRIMA Conclusio: futura tam necessaria, seu ex causis necessariis naturali sequela provenientia, quam ea quorum cause licet contingenter applicentur, ex iis tamen applicatis naturaliter & necessariò procedunt, cognoscere naturaliter potest Angelus: ita S. Thomas 1. parte, q. 57. art. 3. Molina, Vasquez disp. 227. Granada tract. 5. disp. 1. & alii. Ratio est: quia priora cognoscuntur in sua causa naturaliter, utpote ex qua naturali necessitate procedunt, qualia sunt Eclipsis solis & lunæ, aspectus astrorum, motus planetarum, & alia huiusmodi: hæc tamen subintellectâ conditione novit Angelus, nempe nisi Deus causas impediatur, consuetudinè earum cursum intervertat, sicut rogatu Josue, & in passione Christi intervertit.

Futura necessaria cognoscere naturaliter potest Angelus.

II. Secundorum etiam necessariorum genus novit Angelus, positis causis. Causarum similiter positionem cognoscit tanquam effectuum sibi invicem longâ ferie succedentium, nisi à causis liberis impediatur: utrum nimirum hic post 20. annos sit futura pestis, pendet non à causis tantum naturalibus, sed & à liberis, à piorum scilicet precibus, à voluntate Angeli, qui huic loco præest, & aliis huiusmodi, quæ prævideri naturaliter ab Angelis nequeunt. De his ergo effectibus nulla esse potest controversia, quin eorum species habeat Angelus, vel ab initio congenitas, vel saltem antequam existant, cum eas cognoscat per speciem causæ.

III. Secunda conclusio: futura illa contingentia, quæ à libero arbitrio dependent, non potest cognoscere naturaliter Angelus. Hoc est fide certum, & probatur ex illo Isaia: 41. v. 23. *Annunciate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quia Dii estis vos:* & alia huiusmodi, quæ passim in divinis literis occurrunt, per quæ Sancti Patres, & peculiariter S. Hieronymus, aperte ostendi asserunt, nulli præterquam Deo, certò innoscere futura.

IV. Deinde, nec in causâ hæc cognoscere potest Angelus, cum nihil antecederet in causâ sit, quod magis effectum liberum indicet, quam illius negationem: nec in seipsis, nam etsi concedatur habere Angelum principium efficiens creatum adæquatam cognitionis horum objectorum, sicut in multis aliis jam vidimus, non tamen ei debetur concursus ad cognitionem circa illa habendam, donec ponatur consensus alterius: si enim quando actu existunt huiusmodi actus liberi, non prius debeatur Angelo concursus ad cognitionem circa illos habendam, quam is, qui hos actus elicit, præbeat consensum, multò minus antequam existant non debetur Angelo eorum cognitio.

V. Tertia conclusio: probabilis mihi videtur cum Vasquez disp. 208. cap. ultimo, Tannero q. 3. dub. 4. num. 14. Arrubale disp. 167. & aliis, nihil obitare quo minus Angelus objecta externa præterita, immediatè & directè cognoscat, & non tantum per modum memoriæ, sive quòd ea antea viderit. Unde licet Angelus non actu videat aquilam isthic hodie volantem, aut prælium navale inter duas classes alicubi in mari commissum, poterit nihilominus hæc postea immediatè & directè cognoscere. Ratio est: nam etiam juxta adversarios, potest Angelus actum suum præteritum postea immediatè intueri, & in illo cognito objectum exter-

Objecta externa præterita cognoscere immediatè Angelus.

num perspicere, ergo eodem modo objectum quodvis præteritum videre poterit immediatè. Præterea, cum objecta præsentia possit naturaliter cognoscere, & per accidens sit, quod ad ea dum existerent non attenderet, quidni postea pro eâ differentiâ temporis, qua existerunt, poterit illa cognoscere; quòd enim transierit, non amittunt rationem objecti intellectus Angelici. Tandem, plurimarum rerum visio, successivarum scilicet, Angelo non nisi per unicum instans, aut partem proportionalem temporis deberetur, quod naturæ Angelicæ perfectioni plurimum videtur derogare.

Alii suum præteritum videt immediatè Angelus, ergo & alia eodem modo videt potest.

Contrarium tenet Suarez hic, lib. 2. cap. 12. ob illud Isaia: 41. v. 22. *Priora quæ fuerunt nunciate:* ubi disputans quasi Deus cum idolis gentium, provocat ea æquè ad præterita nunciandum, ac futura. At sanè hic nequit esse illius loci sensus, cum certum sit, nec neget Suarez, demones præterita cognoscere, saltem memorativè: hæc autem cognitio ad illorum enunciationem est sufficientissima. Variæ ergo huius loci interpretationes videri poterunt apud Patrem Cornelium in caput 41. Isaia: v. 22. Illa præ cæteris apta ad rem præsentem videtur, quòd per priora velit Deus, ut ea annuntient, quæ Deus ab initio, seu ab aeterno cogitaverit, ac decreverit: quod etiam docet Pater Trierinus in eundem locum, & desumptum est ex Origene.

VI. *Steganus alii, qui, Angelus immediatè cognoscat præterita.*

Duobus itaque modis cognoscere potest Angelus præterita, vel immediatè & directè, in illa sola per actum clarum & intuitivum tendendo, vel per actum reflexum, quo eadem, ut à se prius cognita, repræsentat, licet per hunc etiam actum possit objectum in se clarè perspicere, & non tantum mediatè, ut voluit alii. Sicut autem supra diximus de præsentibus & futuris, ita nunc dico de præteritis, quamvis Angelus illorum etiam species à principio suæ creationis infusus accepisset, non tamen sequi, debuisset illa à principio, ob rationes jam supra positas, cognovisse.

VII. *Duobus modis cognoscere potest Angelus præterita, directè scilicet, & reflexè.*

Quamvis autem Angelus habeat species universales, seu objecta varia repræsentantes, ut postea videbimus, potest nihilominus specie aliquâ universali, quæ equum verbi gratiâ, leonem, & alias aliquas animalium species repræsentet, uti inadæquatè, & ubi libuerit, equum solum per eam clarè cognoscere.

VIII. *Species universali uni potest Angelus inadæquatè.*

SECTIO DUODECIMA.

Inquiruntur nonnulla circa species, & cognitionem Angelorum: & primo quomodo Angelus cognoscat Deum.

QUÆRES primò: quomodo Angelus cognoscat Deum? quomodo inquam, nam Angelum cognoscere Deum extra omnem est controversiam, cum nihil in rerum naturâ certius, nihil evidentius sit, quam Deum esse. Dico itaque Angelum in suâ substantiâ ut in medio cognito Deum novisse: cum enim Deum tanquam terminum ordinis transcendentalis, quem ejus substantia ad eum dicit, respiciat videndo suam substantiam clarè, Deum in eâ poterit cognoscere. Et licet ad res etiam alias dicat ordinem transcendentalem, non tamen ita quasi necessariò ad illarum cognitionem

L. *Angelus in suâ substantiâ, ut in medio cognito Deum.*

Deus magis ad cognitionem sui determinat, quam res alia.

II.
Substantia Angeli non est species intelligibilis Dei.

Si substantia Angeli esset medium cognitionis Dei, Deus per illam cognosceretur clarè.

III.
Angelus speciei propriæ, & quidditativam sui habere nequit naturaliter.

Ad visionem intuitivam non requiritur, ut quis rem reflexè cognoscat ut præsentem.

IV.
Positne Angelus ab omni intellectu actu cessare.

V.
Ab omni intellectu actu cessare naturaliter nequit Angelus.

tionem determinatur, per suam substantiam, ac ad cognitionem Dei; respectus quippe ad Deum est prædicatum reliquis magis obvium: unde experientia quotidiana constat ex cuiusque creaturæ cognitione statim provenire cognitionem Dei.

Non tamen, ut volunt Thomistæ, substantia Angeli est species intelligibilis Dei, seu medium incognitum: ita Suarez lib. 2. cap. 18. Molina; Vasquez & alii. Ratio est, quia Angelus non cognoscit Deum nisi ad modum rei creatæ, ergo non eum cognoscit per suam substantiam immediatè, tanquam per medium incognitum; per suam siquidem substantiam non cognoscit Deum nisi ad modum suæ substantiæ, ergo ad hoc cognoscere debet suam substantiam: impossibile siquidem videtur, ut quis aliquid instar alterius rei cognoscat, & rem illam non cognoscat, ergo substantia Angeli ad Dei cognitionem deservit tanquam medium cognitivum, seu tanquam imago Dei prius visâ, non tanquam medium incognitum. Deinde si esset medium incognitum, Deus per illam clarè & immediatè videretur, quod dici non potest, ergo Angelus Deum per suam substantiam alio conceptu cognoscere nequit, quam connotativo, seu respiciendo ipsam substantiam cognitivam, alioqui videret Deum immediatè & sicut est in se.

Addo ulterius contra Scotum in 2. dist. 3. q. 9. non posse Angelum habere naturaliter speciem propriam, & quidditativam Dei; hæc namque, cum repræsentaret Deum sicuti est, foret clara & intuitiva, sicque Angelum redderet beatum; cognitio etenim speciem illam naturaliter consequens, esset visio beatifica. Nec obstat visioni intuitivæ Dei, quod hæc species Deum non repræsentaret ut præsentem: primò enim cum Deus essentialiter sit æternus, & immensus, non potest non in actu exercito illum repræsentare ut præsentem, non autem requiritur ut id præsentem in actu signato: visio enim materialis albedinis est intuitiva, licet non hoc modo in actu signato, & reflexè repræsentet albedinem ut præsentem, sed in actu solùm exercito. Deinde non video quid obstat conceptui visionis claræ & intuitivæ etiamsi videat rem ut in alio, vel loco vel tempore existentem, quam in eo ubi existit is, qui eam cognoscit; ad visionem siquidem intuitivam sufficit, si tendat in rem ut pro aliquâ temporis differentia existentem. Nec pro contrariâ sententiâ facit, quod objici solet de Sancto Paulo, qui post raptum recordabatur illius, quod viderat: dico enim recordatum quidem esse Sanctum Paulum, & evidenter cognovisse se vidisse Deum, postquam quod eum viderit, per hanc tamen cognitionem non novisse quidditativè Deum, sed imperfectiore, & inferiore modo, nempe abstractivè.

Quæres secundo: utrum Angelus possit ab omni actu intellectus cessare. Vasquez 1. p. d. 219. cap. 3. licet fateatur nullum esse Theologum, qui affirmet posse Angelum omni cognitione, & consequenter omni operatione vite penitus destitui, sed saltem debere persistere in cognitione sui, ipse tamen nullam ait esse repugnantiam, quo minus Angelus, & à cognitione sui, & ab omni intellectu actu cesset: quam antea sententiam tenuisse videtur Gregorius dist. 11. q. 2.

Dicendum tamen cum S. Thoma lib. 2. contra Gentes cap. 97. & communi Theologorum sententiâ, non posse Angelum naturaliter ab omni actu cessare, tum quia si id fieret, non posset ab intrinseco iterum ad cogitandum redire, nullum quippe est principium intrinsecum, à quo cogita-

tionem resumeret, esto enim dum in aliquâ cogitatione est, præsertim suprà, possit in varias alias cogitationes, speciebus longo ordine sese excitantibus, transcurrere, si tamen semel ab omni actu cesset, non est quo pacto iterum de objecto aliquo cogitet ab intrinseco, nec enim potest id imperare voluntas; primum siquidem actum intellectus nequit voluntas imperare, cum ad omnem actum voluntatis prærequiratur actus aliquis intellectus.

Licet ergo possit Angelus hujus vel illius objecti cognitionem pro libito omittere, ut communiter dicunt Theologi contra Durandum in 2. dist. 3. q. 8. asserentem Angelum semper necessariò cognoscere quicquid naturaliter cognoscere potest, nequit tamen omni cognitione naturaliter privari: prima pars probatur: nihil namque est, quod Angelum hoc modo ad usum omnium specierum necessitet: etsi enim species non sint formaliter liberæ, sicut nec intellectus, aut habitus, subsunt tamen hac in parte imperio voluntatis, magis quam sensus, quorum operationem, positâ in potentia specie impedire immediatè nequit voluntas.

Quamvis etiam Deus in actuali omnium cognitione necessariò semper persistat, hoc tamen non requiritur in Angelo, etiam respectu earum rerum, quarum habet species, tum quia ex iis aliqua parvi momenti sunt, & parum ad Angelum spectantia, tum quia res multæ sunt, quarum cognitio dolorem ei affertent, ad malum incitarent, &c. ac proinde interest illius posse ab his cogitationem ubi libuerit avertere. Secunda pars probata est supra, num. quinto.

Alia itaque cognitio est Angelo semper necessaria, maxime verò connaturale videtur, si dicamus non posse eum cessare à cognitione sui, cognoscendo siquidem suam substantiam facillè reducitur in cognitionem alterius cuiuscunque objecti, licet etenim cognoscendo aliud quodvis objectum, hoc utcumque præstare possit, non tamen ita expeditè, ac cognoscendo suam substantiam; hinc namque facillè excitatur ad suas species cognoscendas, & consequenter per eas ad omne objectum, cuius sunt repræsentativæ, repræsentandum.

Pater Suarez hic, lib. 2. cap. 35. num. 24. vult Angelum in actuali cognitione, non solum suæ substantiæ, sed etiam intellectus, quem ponit à substantiâ Angeli distinctum, & specierum, necessariò semper persistere, quod non caret probabilitate: non tamen videtur necessarium, cognitâ quippe suâ substantiâ, ad visionem suarum specierum, facillimè transire potest, maxime cum videat substantiam suam naturaliter illas petere.

Hoc ergo modo Angelus ubi de objecto aliquo cogitare desit iterum ad illius cognitionem reducitur; videndo enim suas species nunc se ad hæc nunc illâ specie utendum liberè applicat: cognoscendo etiam suam substantiam, in varias cognitiones abstractivas facillè procurrit, quæ species intuitivas naturaliter subinde excitant, quibus diversa objecta clarè cernuntur.

VI.

Angelus non semper necessario cognoscit, quicquid naturaliter cognoscere potest.

VII.

Differentia inter Deum, & Angelum, quoad actuale rerum omnium cognitionem.

VIII.

Angelus à cognitione sui videtur cessare non posse.

IX.

Non requiritur ut Angelus in actuali semper suarum specierum cognitione persistat.

X.

Quo pacto ad intermissam objecti alicujus cognitionem reducatur Angelus.

SECTIO DECIMA-TERTIA.

Vtrum Angelus plura simul cognoscere possit immediatè.

I. RESPONDEO cum S. Thoma q. 58. art. 2. Vasquez disp. 121. num. 14. & aliis communiter, posse, idque vel eodem actu, seu conceptu, vel diverso. Probatur: nulla enim in hoc apparet, vel probabilis repugnantia: nec est cur quis id Angelis denegat, cum & sensus objecta varia simul percipere possint. Deinde cum Angelus, uti iam diximus, suam substantiam naturali semper necessitate intueatur, sequeretur non posse eum ad ullum aliud objectum simul perfectè attendere, quod per se videtur incredibile. Quando ergo S. Thomas hic quaest. 58. art. 2. ait, intellectum non posse simul plura intelligere, ad summum vult, non posse intellectum plura intelligere sine ordine aliquo & subordinatione, vel inter se, vel ad aliud quod tertium, quo modo apud Vasquez hic, disp. 220. cap. 1. Aegidius, Sancti Thomae auditor cum exponit, & optimè congruit cum eo, quod supra diximus, Angelum scilicet quidquid intelligit, ex determinatione cognitionis suae substantiae intelligere, sicque cum ordine ad illam objecta alia percipere.

II. Tandem addo, licet intellectus Angelicus petat connaturaliter speciem representantem tot objecta simul, quae proinde simul cognoscere possit, non tamen ita illi objectorum numero alligatur, quin si plures & plures ei species infundantur, possit plura adhuc & plura objecta cognoscere; crescit enim perfectio & numerus actuum pro maiore perfectione principii. Nec mirum cuiquam videri debet, actus evadere posse perfectiores & perfectiores, si major semper addatur virtus in principio, ut in intentione ejusdem actus fatentur omnes, & videtur clarum in visione lucis & albedinis: quo enim gradu perfectio & intensio speciei, eodem crescit visionis perfectio.

III. Diverso itaque modo se res habet in huiusmodi actionibus elicendis, & in gestatione ponderum: unde Petrus, qui solus potest portare pondus ut quatuor, potest cum alio earundem virium portare pondus ut octo, cum tertio ut duodecim, & sic deinceps, ita ut ipsi nunquam correspondeat nisi pondus ut quatuor. At verò aliud cernitur in intellectu, Angelus enim qui cum unâ specie elicere potest unum actum ut quatuor, potest cum alterâ ejusdem rationis alium simul elicere ut quatuor, & plures ac plures similiter ut quatuor, & si postea ad eundem actum cum intellectu concurrant tres istae species, elicietur actus ut duodecim, ita tamen ut non quatuor tantum gradus correspondeant intellectui, sicut Petro in gestatione ponderis, sed omnes gradus indivisibiliter ita correspondent intellectui, & omnes similiter speciebus, ut nec hæc sine illo, nec ille sine his quidquam omnino possit, sicque quoad hoc diversissima ratio est de causis subordinatis & non subordinatis.

IV. Quare etiam arguatur major virtus posse cum aliqua specie plura, vel perfectius cognoscere, quam cum eadem possit alius intellectus, non tamen si species multiplicentur, vel intendantur, tunc enim ad plurima objecta clarè & distinctè cognoscenda extendere se potest intellectus intuitivus: quod non contingit in imaginativâ, cujus species omnes, utpote à pluribus & contrariis humoribus ac

Plura simul cognoscere potest Angelus immediatè.

Quo sensu negat S. Thomas posse intellectum plura simul cognoscere.

Petit Angelus naturaliter speciem tot simul objectorum effectivè representativam.

Diversissima ratio est in huiusmodi actibus elicendis, & in gestatione ponderis.

Omnes gradus correspondent intellectui, & omnes speciebus.

Multiplicatis speciebus, ad plurima objecta extendere se potest intellectus intuitivus.

dispositionibus dependentes, excitari simul non possunt.

SECTIO DECIMA-QUARTA.

An unus Angelus species habeat magis universales, quam alius.

SUPPONO cum S. Thoma hic, quaest. 55. a. 3. & communi sententiâ contra Scotum in 2. d. 3. quaest. 10. posse Angelum per unam speciem plura objecta cognoscere: Primò quia potest per unum varia objecta videre, cum hoc & ab oculo corpore fieri possit. Deinde nulla omnino est repugnantia, quo minùs possit eadem species varia in actu primo representare: quod enim dicit Scotus species produci ab objectis, inprimis licet id possibile esse supra dixerimus Sect. 4. de factò tamen vix unquam contingit, cum objecta vel omnino non sint quando species in intellectu Angeli producit, vel non sint applicata. Tandem licet producerentur species ab objectis, quidni tamen poterunt duo objecta unam speciem producere, utriusque objecti representativam, sicut in libris de animâ dixi frequenter contingere in speciebus visibilibus.

Hinc infero cum P. Hurtado disp. 5. de animâ sect. 3. 4. & 5. objectum, tam intellectus quam speciei alicujus intelligibilis, saltem respectu actus clari, & intuitivi, non debere esse necessariò unum re vel ratione, ut volunt Thomistæ, sed posse esse plura ut plura, & consequenter non aliam in illo objectis unitatem requiri, quam aggregationis. Ratio est: species siquidem & potentia specificantur ab actibus, quos sigillatim & in particulari respiciunt, & non solum in genere, cum illos respiciant ut à se producendos, & consequenter ut sunt à parte rei. Actus etiam, saltem intuitivi & clari respiciunt objecta in particulari & ut plura, cum unum ab alio discernant. Cum ergo species & potentia non respiciant objecta nisi mediatè, nempe per actus à se productos, respiciunt illa ut plura, nec aliâ unitate, quam aggregationis.

Quari itaque hic solet an Angeli, quò superiores, & perfectiores sunt, eò universales habeant species. Qua in re confusissimè loquuntur Auctores. Ut ergo clariùs procedamus, dupliciter intelligi potest hæc universalitas major in speciebus Angelicis: primò ita, ut si Angelus quilibet habeat unam speciem representantem aquilas, & aliam representantem leones, Angelus huic superior, per unicam speciem & aquilas representet & leones, quæ species sine dubio universalior est præcedente, utpote quæ ad plura objecta extenditur. Secundò species dici potest universalior, quia plura ratione distincta unâ vice cum perfectiore intellectu superioris Angeli representat, utpote qui plures rationes in objecto per eam simul uno actu penetrat, quam possit Angelus inferior, nisi vel plures species adhibeat, vel sæpius per eandem operetur. Hoc sensu non difficulter salvatur major universalitas specierum pro diversitate perfectionis substantiæ, & consequenter intellectus Angelici.

In priori etiam sensu dico verisimile esse Angelum superiorem, per se loquendo habere species universaliores, seu ad plura sese objecta extendentes, quam habeat inferior: ita Suarez lib. 2. cap. 15.

I. Per unam speciem potest Angelus varia objecta cognoscere.

Duo, vel plura objecta eandem in intellectu speciem possunt producere.

II. In objectis ab Angelis per unam actum representantem, non alia requiritur unitas, quam aggregationis.

Actus clari plura objecta respiciunt, ut plura.

III. Major universalitas specierum, dicitur modo intelligi potest.

Species universaliores, tenentur, & intensius ex parte objecti.

IV. Angelus superioris speciei habet universaliores, quam inferior.

cap. 15. n. 4. & Thomista communiter, est que sententia S. Thomæ hic, quaestione 55. articulo 3. Ratio est: cum enim huiusmodi diversitas in universalitate specierum sit possibilis, non est cur negat quisquam eas de facto Angelis in perfectione inæqualibus tribui, ut hoc modo cum diversitate perfectionis in Angelis, proportio servetur in speciebus. Confirmatur ratione S. Thomæ citati: Deus enim quia summè & perfectissimè intellectivus, modum cognoscendi habet simplicissimum & universalissimum; ergo res intellectivæ creatæ perfectissimæ, quod sibi invicem superiores sunt, & Deo propinquiores, eò magis de modo cognoscendi Dei participare debent, & consequenter universaliori modo intelligere.

Perfectiori intellectui perfectior debetur species.

Modus intellectus in Deo simplicissimus est, & universalissimus.

V. Specierum universalium duplex assignari solet obiectum, primarium & secundarium; primarium sunt individua quædam naturæ alicujus substantialis, ut tot homines, tot equi, leones, &c. secundarium sunt proprietates & accidentia, quæ individuis hisce inesse possunt. Dari ergo potest species universalis, quæ 100. leones, exempli gratiâ, & totidem equos cum suis accidentibus representet, illos primariò, hæc secundariò. Utrum autem dari possit una species, quæ infinita individua vel species representet, variant Auctores: negant nonnulli, alii tamen nullam in hoc apparere aiunt repugnantiam. Quod si quis objiciat, si species in actu primo representare possit infinita; ergo habere poterit actum sibi adæquatam, & in actu secundo representare simul infinita. Resp. quidquid sit de veritate ipsius rei, & utrum Angelus per unum vel plures actus attendere simul queat ad infinita, non tamen est necessarium ad hoc ut species apta sit in actu primò ad representandum infinita, ut ea simul & collectivè representet, aut representare possit, sed sufficit, quòd divisivè quodvis ex infinitis illis obiectis diversis representare possit: in hoc enim sufficienter superat quamcumque speciem quæ in actu primo extenditur ad obiecta solum finita: sicut materia prima quæ recipere infinitas formas posset, esse non possit eas simul recipere, excederet in perfectione aliam materiam, quæ in actu primo non haberet virtutem tot formarum recepticem.

Dari potest species infinitorum obiectorum in actu primo representativa.

Non tamen sequitur posse hanc speciem illa omnia representare simul in actu secundo.

SECTIO DECIMA-QUINTA.

Difficultates quedam circa universalitatem specierum Angelicarum: Vbi utrum unus Angelus alium comprehendat.

I. Obijci hinc sequi, vel Angelum aliquem intelligere sine specie, vel Angelos inæquales habere species æquales.

CONTRA universalitatem specierum in Angelis objicit Egidius, hinc sequi, vel tandem deveniendum ad aliquem unum Angelum qui cognoscat sine specie, vel Angelos in perfectione inæquales, habere species in universalitate & extensione æquales: sequela probatur: si enim Angelus aliquis inferior cognoscat res omnes creatas per sex species; ergo Angelus superior sexies hunc in perfectione superans, res easdem cognoscat proportionem servata, per unam; ergo alius hoc perfectior per nullam; vel duo aut plures obiecta illa cognoscent per species ejusdem universalitatis,

Durandus, Gabriël, Gregorius, & alii asserunt, species ad obiecta cognoscenda non esse Angelo necessarias. Arriaga etiam disp. 4. de anima, n. 174. affirmat possibilem esse potentiam aliquam cognoscitivam sine specie distinctâ. Sed quidquid sit de his, Respondet Suarez hic, lib. 2. cap. 3. n. 8. neutrum sequi: etsi enim concedatur Angelum aliquem, in actu primo res omnes creatas sibi inferiores, per unam speciem cognoscere, & seipsum per suam substantiam, si tamen creetur alius hoc perfectior, cognoscat per pauciores & universaliores species; res namque alias creatas & hunc ipsum Angelum inferiorem per unam speciem cognoscat, & se per suam substantiam: at verò Angelus inferior, quamvis res omnes sibi inferiores cognoscat per unam speciem, Angelum tamen superiorem cognoscit per aliam speciem singularem, sicque saltem duas species habebit. Imò quot sunt Angeli creati vel superiores illi, vel æquales, tot habebit species illorum singulares. Plures ergo habebit species Angelus inferior, superior universaliores. Hunc etiam dicendi modum amplectitur Cajetanus & Albertinus. Hæc tamen postrema responsionis pars mihi videtur non carere difficultate.

II. Ostenditur Angelos in perfectione inæquales, species etiam habere inæquales.

Angelus superior per species simpliciter universaliores cognoscit, quæ inferior.

Secundò itaque ad argumentum propositum respondet idem Suarez, nempe si ad unum aliquem Angelum perveniat, qui omnia existentia cognoscat per unam speciem, adhuc Angelum superiorem habiturum speciem universaliores, per quam nimirum, & existentia omnia cognoscat, & directè ac immediatè feratur in aliqua ex possibilibus. Tertiò dicunt alii, nullum esse inconveniens, quòd tandem deveniatur ad Angelos inæquales, quorum species sint in universalitate æquales: id enim aiunt esse per accidens, defectu scilicet obiectorum, quæ videantur; ad conclusionis autem nostræ veritatem sufficit, ut Sectione præcedente, num. 4. dixi, quòd per se loquendo, & si essent plura obiecta videnda, superior Angelus haberet species universaliores, quam inferior.

III. Alio modo ostenditur, Angelum superiorem habere species universaliores.

Tertia difficultas proposita solutio.

Quæres utrum unus Angelus alium comprehendat? Ad hanc quaestionem secundum diversas de comprehensione opiniones respondendum, quas latè Disp. 20. de anima discussi. In nostrâ sententiâ, qui conceptum comprehensionis constitutum in commensuratione quadam intensivâ perfectionis actus cum perfectione obiecti, facilius videtur difficultatis resolutio.

IV. Utrum unus Angelus alium comprehendat, pendet à diversis de comprehensione sententiis.

Primò itaque Angelus quivis comprehendere potest seipsum: maxima enim est inter cognitionem Angeli in ratione cognitionis, & substantiæ illius in ratione substantiæ proportio: unde connaturalissimè potest Angelus se comprehendere, cum connaturalissimè elicere possit cognitionem sibi, modo dicto adæquatam, seu tantæ perfectionis in ratione cognitionis, ac obiectum est in ratione obiecti. Hinc constat inferiorem Angelum, connaturaliter loquendo, non posse comprehendere superiorem: superior verò non comprehendere solum potest, sed supercomprehendere inferiorem.

V. Potest Angelus comprehendere seipsum, ob summam cognitionis ad cognitionem proportionem.

Superiorem inferiorem comprehendere potest, non e contra.

Dices: Angelus superior non cognoscit actus liberos inferioris; ergo illum non comprehendit. Negatur tamen consequentia; vel enim horum cognitio non spectat ad comprehensionem Angeli, ut vult Molina disp. 5. memb. 5. Hurtado disp. 10. de anima, sect. 3. num. 32. Suarez lib. 2. de Angelis cap. 31. num. 9. sicut inquit ipse ad comprehensionem herbæ alicujus parum refert, utrum cognoscantur accidentia communia, quæ illi ab

VI. Actum liberorum cognitio ad comprehensionem non pertinet, cum sint quædam accidentaria.

Ad cognitionem lapidi non spectat, et alius sit an frigidus, albus an niger.

illi ab extrinseco inesse solent, utrum scilicet calida sit, an frigida, hoc vel illo loco sita &c. hæc enim accidentaria sunt, ergo accidentarium etiam est, utrum Angelus de facto eliciat actum liberum necne: & ut ait Hurtado citatus, num. 33. si antequam Angelus inferior eliceret actum liberum, superior eum comprehendebat, superveniens actus liber efficere non potest ut cognitio illa præcedens non sit comprehensio. Si verò quis cum Vasquez 1. p. disp. 205. cap. 3. cognitionem etiam actuum liberorum spectare velit ad comprehensionem, adhuc dicunt recentiores aliqui posse Angelum superiorem comprehendere inferiorem, defectus enim inquinat cognitionis actuum liberorum per aliam cognitionem suppleri poterit, per quam alia prædicata in Angelo inferiore conspiciunt: quod tamen mihi videtur difficile.

SECTIO DECIMA-SEXTA.

Utrum Angeli uti possint discursu.

I. Duplex est, de qua hic loquimur compositio.

Non quævis specierum circa res, etiam diversissimas, combinatio, est discursus.

II. Quis sit verus discursus, & arguat imperfectionem.

III. Discursus proprie dicitur plures actus requirit.

Magis in particulari declaratur natura discursus.

HOc est, utrum Angelus cognoscere possit componendo ac dividendo. Compositio, de qua hic loquimur, duplex esse potest: prima est compositio quædam, seu combinatio specierum, quando scilicet Angelus duabus vel pluribus speciebus diversarum rerum uti vult, easque ad cognitionem circa res illas eliciendam applicat: sic speciebus aeris, lucis, & unionis, etiam si ponantur distinctæ, sicut res ipsæ, quarum sunt species, unico simplici intuitu videt Angelus, & cognoscit inesse lucem aëri, Petrum esse similem vel dissimilem Paulo, leoni, equo &c. Item videt rem aliquam cum omnibus circumstantiis, ut hominem cum vestibus, sociis, loco in quo est &c. Ad hoc autem sufficit generalis quædam voluntas cognoscendi tale objectum cum omnibus circumstantiis: & in hoc nullus intervenit discursus, sed totum unico simplici intuitu perficitur. Eodem etiam modo procedere potest in propositionibus negativis & per species diversarum rerum unam de aliâ negare, ut aërem non esse lucidum, &c.

II. Alia compositio est, quæ reperitur in ipsis actibus, & involvere videtur imperfectionem, subjectum namque & prædicatum, quæ realiter semper sunt indistincta, concipit non ut in re sunt, sed instar plurium, deinde illa sic per apprehensionem simplicem, vel unam, vel plures concepta, per alium actum conjungit inter se, & prædicatum componit cum subjecto, ac si ab eo fuisset antea distinctum.

III. Discursus itaque est, quando unum infertur ex alio: ideo autem dicitur discursus, quod plures actus includat, sicut discursus corporeus includit plures gressus; nec enim nisi abusivè vocaret aliquis discursum, cum quis eodem actu unum in alio, ut effectum in causâ, cognoscit, alioqui & Deus discurreret, qui in suâ essentiâ, & per eam videt res omnes possibles. Non ergo sufficit ad discursum, quod ex parte objecti unum cognoscatur in alio, vel per aliud, sed esse debet quædam causalitas ex parte actuum, ita ut unus habeatur ex vi alterius, prius saltem naturâ habiti; si enim quis duos vel plures actus eliciat merè concomitanter, non dicitur discurrere, nec ab uno ad aliud, seu per aliud transire. Unde ab Aristotele, & Philosophis definitur discursus, *Cognitio*

unius veritatis per aliam, & post aliam. Hic ergo querimus, utrum Angelus discurrat, vel discurrere possit.

Tres hæc in re diversæ sunt sententiæ: prima IV. Scoti, quem sequitur Gregorius, Okam, Gabriel, & alii, qui licet ab aliquibus per se notis inchoare dicant cognitionem suam Angelos, sicut etiam faciunt homines, in quibus evidens est omnes actus non esse discursivos, cum ab aliquo actu immediato incipiant necesse sit: in omnibus tamen aliis aiunt Angelos discurrere, etiam in iis, quæ naturaliter clarè & intuitivè cognoscunt. Secunda opinio est Thomistarum Capreoli, Cajetani, Ferraræ, Banez, & aliorum, qui in nullo aiunt Angelum discurrere, imò cum asserunt omnino omnino discursus esse incapax.

Tertia, & probabilior sententia est Suarez hæc, lib. 2. cap. 33. num. 5. 9. & 18. Vasquez disp. 222. cap. 3. Hurtado disp. 12. Metaph. sect. 4. num. 24. & 28. Molina, & aliorum, qui etsi negent Angelum in iis rebus naturalibus discurrere, quas evidenter, clarè & intuitivè pro ut in se sunt videt; species siquidem, per quam hæc cognoscit, cum sit clara, repræsentat rem cum suis prædicatis essentialibus, proprietatibus, passionibus, &c. Unde unico actu simplicissimo hæc omnia intuetur, & sine ullo discursu, vel illatione unius ex alio. In aliis tamen rebus quas non videt intuitivè, sive ex supernaturalibus sunt, sive naturales, dicunt Angelum uti discursu, & per notiora devenire ad incognita.

In rebus itaque supernaturalibus discurrunt Angeli, & unum ex alio per diversos actus deducunt. Hæc videtur mens Divi Thomæ hæc, quæst. 60. art. 2. in fine corporis, ubi cum Angelo negasset discursum, subdit, *Hæc autem dicta sunt, prætermisissimis his, quæ supra naturam sunt, horum enim non est natura principium sufficiens.* Unde quando Angelis negat S. Doctor discursum, de iis solum rebus intelligit, quas clarè, & intuitivè conspiciunt. Idem etiam dicendum de futuris contingentibus, & secretis cordium, hæc enim cum non videant Angeli intuitivè, possunt per conjecturas & discursum varia circa illa inferre, & unum ex alio deducere.

Imò in rebus naturalibus, ea quæ nequit Angelus immediatè per speciem claram & intuitivam cernere, potest per discursum inferre: sic dum Angelus cognoscendo suam substantiam, vel res alias, cognoscit Deum, solum secundum rationem primi principii, potest reliqua Dei attributa per discursum indagare. Thomista ergo aliqui, & in particulari Capreolus S. Thomam in iis locutionibus, in quibus, omnem universum negat Angelis discursum, intelligi debere aiunt de discursu qui fit cum successione temporis, seu cum quadam cunctatione, & mora, non de successione tantum causalitatis; quod exinde suadetur, aliquando enim, ut quæst. 8. de veritate art. 15. ad secundum, Angelum significat non discurrere, ne quidem in supernaturalibus; quod tamen alibi, ut vidimus, concedit: de priori ergo discursu intelligi debet.

SECTIO DECIMA-SEPTIMA.

Posintne Angeli naturaliter cognoscere res supernaturales.

I. SUPPONIT questio aliqua esse non quoad modum tantum supernaturalia, ut est resuscitatio mortui, restitutio visus &c. quæ ubi facta sunt, videri ab Angelis naturaliter possunt, cum in substantiâ non minus naturalia sint, quam quævis alia naturali modo producta. Nos verò hic de iis loquimur quæ in entitate & simpliciter sunt supernaturalia, qualia sunt unio hypostatica, visio beatifica, gratia habitualis, habitus per se infusi, & alia id genus, illa scilicet quæ specialiter ad participationem Dei peculiari modo habendam spectant, juxta dicta supra Disput. duodecimâ.

II. Existimo itaque cum S. Thoma hic quest. 57. art. 5. quem ejus discipuli sequuntur, tenetque Alensis, Durandus, Suarez lib. 2. cap. 29. Molina, Vasquez, & alii, non posse Angelum clarâ & intuitivâ visione res in substantiâ, seu entitate supernaturales nature viribus cognoscere.

III. Dixi clarâ & intuitivâ visione, posse enim Angelos, suppositâ saltem revelatione, habere naturaliter cognitionem abstractivam hujusmodi entium supernaturalium, & per species alienas, videtur certum, cum dæmones modò cognitionem habeant gratiæ, ac donorum supernaturalium, unionis hypostaticæ, visionis beatificæ &c. Ad do etiam sine revelatione posse Angelum conjecturalem aliquam harum rerum habere notitiam, probabiliter scilicet judicando hujusmodi res esse possibiles, cum nullam in earum prædicatis videat implicantiam, ut latius, Deo dante, in materiâ de Incarnatione declarabo. Non tamen potest evidenter, etiam abstractivè, supernaturalia cognoscere, cum nullum sit in naturâ principium, ex quo evidenter hæc deduci possint; scientia autem naturalis continetur intra principia, causas & effectus naturales.

IV. Ad summum ergo novit Angelus non esse evidens, esse impossibilia hujusmodi entia supernaturalia, non tamen novit esse evidens non esse impossibilia, sicque ad summum de harum rerum possibilitate habet notitiam negativam, seu non convincitur esse illas impossibiles, non tamen propterea novit eas esse possibiles, ut fusiùs dicam 3. parte, dum de cognoscibilitate Incarnationis.

V. Probatur itaque Conclusio: Imprimis enim Patres & Concilia mysterium Incarnationis, seu unionem hypostaticam appellant anigma sacratissimum, ineffabile mysterium, inenarrabile, incomprehensibile &c. S. Paulus ad Ephesios 3. v. 8. eam appellat *investigabiles divitias Christi*, Sacramentum absconditum, & alia hujusmodi, & in Concilio Ephesino can. 3. dicitur, *Quod Filius Dei incomprehensibiliter sit factus homo*: Si tamen possit Angelus unionem hypostaticam intuitivè videre naturaliter, ut Scotus, & alii ex ejus scholâ affirmant, nihil horum de ea dici posset.

VI. Hinc ergo similiter inferitur non posse Angelum res alias supernaturales, ut gratiam habitua-

lem, visionem beatificam &c. intuitivè videre. Imò si isthæc naturaliter possit cernere, agrè salvatur quomodo Deum ipsum videre naturæ viribus non possit. Tandem cum entia absolute supernaturalia sint simpliciter altioris ordinis, ad hoc ut videantur clarè, & uti in se sunt, requirere videntur, ut actus, quo id fit, sit ejusdem ordinis, & consequenter supernaturalis.

Multa hic obijci possunt, quæ ad tertiam partem propriè spectant, & ad tractatum de Incarnatione: Hic tamen quædam obiter subnectam. Obijciunt ergo primò, Angelum videre intuitivè posse substantiam naturalem, ergo & accidens supernaturale, cum illa sit hoc perfectior. Secundo Angelum videre saltem intuitivè posse negationem gratiæ, & aliarum rerum supernaturalium, ergo saltem cognoscet res illas esse possibiles, cum illarum negationes videat esse tollibiles. Tertio Angelum evidenter cognoscere Deum esse omnipotentem, ergo & illum posse isthæc producere. Quarto, Angelus videns intuitivè alterum Angelum, vel hominem, videt potentiam illius obedientialem, ergo & capacitatem ejus ad gratiam, ac dona supernaturalia, ergo hæc etiam evidenter cognoscet esse possibilia.

Ad primum negatur consequentia; accidens siquidem supernaturale est ordinis simpliciter superioris, unde sicut licet substantia naturalis sit perfectior accidente supernaturali, non sequitur, illa est naturaliter producibilis, ergo & hoc; ita nec sequitur, hoc esse naturaliter cognoscibile, quia hujusmodi cognoscibilitas illi, naturæ viribus competit.

Ad secundum respondeo formam & privationem esse quoad hoc in eodem ordine, unde non debetur Angelo naturaliter cognitio negationis, magis quam formæ, licet illa sit naturalis. Deinde, si quis velit negationes illas ab Angelis videri, non tamen ita perfectâ iis debetur illarum cognitio, sicut affirmant auctores de actu intellectus essentialiter vero vel falso. Ad tertium dico, ex eo quòd Angelus naturaliter noverit Dei potentiam esse simpliciter infinitam, sequitur tantummodo illum nosse eam extendi ad omnem terminum possibilem. Utrum autem hi termini possibiles sint nec ne, non novit evidenter Angelus, cum non noverit evidenter difficultates omnes, quæ contra eos proponi possint, sibi occurrere. Ad quartum respondeo, visâ causâ non semper in eâ clarè videri effectus, sed plures vel pauciores prout visso magis vel minus fuerit latè patens. Unde non sequitur, Angelum visâ naturâ alterius, videre potentiam ejus obedientialem, prout extenditur ad effectus supernaturales. Aliæ objectiones solvantur loco citato.

Quod si Conclusio Theologica, deducta ex principiis fidei supernaturalibus, sit naturalis, est quia principia illa, cum objecta fidei eodem modo repræsentent, quo actus naturales, sympathice excitare possunt principia naturalia, immediate executiva illius actus, potentiam scilicet, species & habitum naturalem, ad illum actum naturalem efficiendum. Aliud est de actu, quo videri debet Deus, aut objectum aliud supernaturale clarè & intuitivè, is enim actus, & species & principia effectiva habere debet supernaturalia, cum objecta illa videat sicut sunt.

pernaturalia non posse clarè videri naturaliter.

VII. Objectiones varia contententes posse Angelum res supernaturales naturaliter clarè cognoscere.

VIII. Facilis cognoscitur substantia naturalis, quam accidens supernaturale.

IX. Cognitio negationis non magis Angelo debetur, quam cognitio formæ.

Omnipotentia cognita non ducit in claram cognitionem rerum supernaturalium.

Quinam effectus visâ causâ cognoscantur.

X. Cur conclusio Theologica ex principiis fidei supernaturalibus delecta, si naturalis sit.